

MS Leiden, UB, Vulcanius 66 f.45r - f.57v.

Cornelius Aurelius, Libellus de Patientia [1524]

Patientiam ab ipso deo suam habere originem. Capitulum primum.

5 Est itaque virtus patientie nobis (incredibile dictu) cum ipso deo communis. Inde enim (teste Cypriano martyre<sup>1</sup>) patientia incipit inde claritas eius et dignitas enitescit. Summe igitur nobis diligenda est patientia quia domino deo nostro est mirum in modum familiaris et gratissima semper fuit.

10 Ecce mi confrater in christo et congnominus meus Corneli, bonum ipsum quod divina maiestas tantopere amplectitur et amat nobis eciam proculdubio amandum seriose commendat. "In patientia," inquit, "vestra possidebitis animas vestras."

15 Sed quid? Si dominus ipse nobis et deus et pater est, sectemur oportet patientiam dei pariter et patris nostri quoniam et famulos decet esse omni iure suo domino obsequentes et filios nihilominus a patre suo non degeneres. Sed iam dei nostri patientiam qualis et quanta semper fuerit videamus. Ecce plurima ab hominibus instituta deorum figmenta delubra sacra sacrilega in sue maiestatis

20 [f. 45v]

25 contumeliam et contemptum patientissime sustinens "super bonos ac malos solem suum oriri facit"<sup>2</sup>) omnique terras hymbribus eque fecundat. Nemo omnium ab eius beneficiis excluditur, quo minus iustis similiter et iniustis indiscretas segetum vindemias largiatur Nonne illius nutui et inseparabili equalitate nocentibus et innoxiiis, relligiosis et impiis gratias agentibus et ingratis tempora ipsa domino iubente obsequuntur elementa famulantur? Ecce inserviunt equo omnibus officio spirantes venti, fontes videmus dulciter fluere,

30 copias grandescere messium, fructus mitescere vinearum, pomis denique arbustapleri, nemo-  
ra frondescere, ridere campos, prata vicere.

35 Et quamquam assiduis atque quotidianis exacerbatur offensis, indignationem tamen suam temperat et presitutum semel retributionis diem patienter expectat. Mirum si non miremur illum tanta patientia et clementia sustinere peccatores, qui presentaneam in eos vindicatam exercere potest. Differt tamen

40 profecto eam ea demum ratione et causa, ut, si fieri posset, iam diu protracta malicia homo in melius commutetur et usque ad canos in scelerum contagione volutatus vel sero convertatur ad dominum qui per prophetam dicit<sup>3</sup>): "Nolo mortem peccatoris sed

<sup>1</sup>. Cf. Cyprianus, De bono patientiae c. 5.

<sup>2</sup>. Mt. 5,45.

<sup>3</sup>. In margine: Ezech. 18[,32].

ut magis convertatur et vivat." Atque iterum per Johelem<sup>4</sup>):  
"Revertimini ad dominum deum vestrum quoniam misericors et  
pius et patiens est et multe miserationis et presta-  
bilis super malicia" et qui leviter flectit sententiam  
5 adversus impium irrogatam.  
[f. 46r]

Sola patientia hominem in via virtutum perficit et  
filios dei a filiis diaboli distinguit. Capitulum secundum.

10 Ecce, amicorum syncerissime Corneli virque consultissime,  
quoniam ipsa patientia dei res est, teste Cypriano,  
et summe peculiaris, et is qui patiens mitisque invenitur  
dei patris imitator existit. Non habuit deus in  
15 omni sapientia sua quo discipulos ad perfectum magis  
erudiret quam ut ad patientiam hortaretur dicens<sup>5</sup>):  
"Diligite inimicos vestros, et orate pro eis qui vos  
persequuntur, ut filii sitis patris vestri qui in celis est,  
et qui solem suum oriri facit super bonos et malos,  
20 et pluit super iustos et iniustos. Si enim dilexeritis  
eos tantum qui vos diligunt, quam mercedem ha-  
bebitis? Nonne et publicani hoc faciunt?  
Et si salutaveritis fratres vestros tantum,  
quid amplius facietis? Nonne ethnici et hoc  
25 ipsum faciunt?" Et mox intulit dicens<sup>6</sup>): "Estote  
itaque et vos perfecti, sicut et pater vester celestis  
perfectus est." "In omni utique patientia et longanimi-  
tate."<sup>7</sup>) O salutiferum divine pietatis documentum,  
O ineffabilem et omnibus inauditam saeculis doctrinam.  
30 Quis, obsecro, unquam audivit talia? Ecce magister  
ille qui non fallitur neque fallit, affirmat  
nos tum fieri perfectos deil filios, et in virtu-  
tibus docuit nos consummari, quum patientia  
dei patris manet in nobis et quum divine  
35 similitudo patientie manifestatur et relucet  
in artibus nostris. O virorum candidissime Hoeni,  
que ea putas est gloria similem prorsus deo  
fieri? Qualem et quantam eam existimas  
[f. 46v]

40 felicitatem nos illud habere in virtutibus, quod  
divinis eciam laudibus possit equari. "Estote," ait<sup>8</sup>),  
"perfecti  
sicut et pater vester celestis perfectus est." "Gloriemur  
igitur, suavissime confrater, in tribulationibus nostris,  
45 scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia  
autem probationem, probatio vero spem, spes autem  
non confundit." Patientia etenim sola est, que uni-  
ce probat, cuius patris nos filii sumus deine  
an diaboli, teste Ysaac patriarcha qui dicit<sup>9</sup>): Accede  
50 huc, fili mi, ut tangam te," tribulationibus scilicet,  
et probem, utrum tu sis filius meus, patienter

<sup>4</sup>. In margine: [Joe] ca. 2[, 13].

<sup>5</sup>. Mt. 5, 44-47.

<sup>6</sup>. Mt. 5, 48.

<sup>7</sup>. Col. 1, 11.

<sup>8</sup>. Mt. 5, 48.

<sup>9</sup>. Gen. 27, 21.

ferens manum meam, an non<sup>10</sup>). Quem enim diligit dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Quicumque ergo in disciplina eius per patientiam non perseverat, sed eam indignans abilit, hic adulterinus iam factus, dei filius esse desiit.<sup>11</sup>) Noli, ait Augustinus, a te patris tui flagellum repellere, si non vis repelli ab hereditate. Noli attendere quam penam habeas in flagello: sed quem locum teneas in testamento. Filii etenim dei sumus, teste Scriptura per lavachrum regenerationis, quo celesti nativitate reparati sumus. Si ergo filii, et heredes;<sup>12</sup>) heredes quidem dei, coheredes autem christi; si tamen compatimur ut conregnantes glorificemur. Sustineamus itaque, mi germane compar, cum omni patientia et mansuetudine flagella piissimi patris ut evadere possimus flagella acerrimi tortoris.

[f. 47r]

Patientia namque, ut prediximus, probationem id est peccatorum purgationem facit, haud secus atque amara antidoti confectio omne e corpore eiicit corruptelam. Et quemadmodum peccati maculam sola aufert cordis contritio, ita procul dubio, pene reatum ipsa tollit tribulatio, si eam patienti animo toleramus. Demum Paulo teste, hec probatio, attactio et purgatio, spem firmissimam, certamque eterne beatudinis expectationem adducit, quando<sup>13</sup>) abolita iam in nobis culpa delictorum et pena liberrimus dabitur ad gloriam accessus, iuxta illud evangelii. Beati qui persecutionem patiuntur, quoniam ipsorum est regnum celorum.<sup>14</sup>)

Patientiam christus non solum verbo nos docuit sed et facto eam nobis in seipso mirabilem ostendit. Capitulum 3

Sed quid ultra dicemus? Numquid non dominus suam nos patientiam solo docuit verbo et eam insuper nobis facto non ostendit? Mirum eciam in modum et ultra quam mens humana aut credere aut intelligere potest. Christi etenim patientiam ex opere testimonia nobis profitentur locupletissima. Inter omnia quippe suarum virtutum mirabilia, quibus divine maiestatis sue expressit iudicia, mirabilem semper ipse conservavit patientiam. Viam de illa celesti sublimitate, ut a primordiis repetam, ad hec terrena descendens, non aspernatur dei filius nostram induere carnem, neque octavo die penaliter circumcidi. Baptisatur a servo, omnium facile dominus. Quadraginta diebus, totidemque noctibus ieiunans tamen hoste tentante congregitur. Jude pedes

[f. 47v]

humi procumbens abluit, quem ad extremum usque mirabili patientia, ad melioris vite frugem exprecarat,

<sup>10</sup>. Hebr. 12, 6.

<sup>11</sup>. Cf Hebr. 12, 7-8.

<sup>12</sup>. Rom. 8, 17.

<sup>13</sup>. Written above: a quia.

<sup>14</sup>. In margine: Matth. 5, [10].

quem domesticum hostem cognovit sed non detexit  
eiusque osculum minime recusavit. O quanta insuper  
equanimitate, quantaque patientia incredulos et  
Israhelitas studuit suadendo ad fidem flectere  
5 ingratos obsequio fovere, contradicentibus  
respondere leniter, omnibus morem gerere, superbos  
et rebelles sustinere clementer, persequentibus se  
humiliter credere. Que omnia maxime sunt argumenta  
patientie. Preterea prophetarum interfectores et adversus  
10 patrem suum semper effrenes usque ad ipsam passionis  
horam, tanquam gallina pullos suos colligere conabatur.<sup>15)</sup>  
Et quid ita demum sub ipsa actum est cruce? Priusquam  
ad necis crudelitatem et sanguinis effusionem ventum est,  
que, obsecro, mi Corneli, opprobria Iudeorum et blas-  
15 phemantium ab eo patienter non audita, que, rogo,  
contumelie, que insultantium sputa patientissime  
ab eo non excepta? Quid pluribus moramur?  
Flagella ipse patitur, quo vindice angelus sa-  
thane quotidie flagellatur. Coronatur idem ipse  
20 pungentibus spinis qui martires suos floribus  
coronat eternis. Palmis in faciem creditur qui  
inmarcessibiles vincentibus palmas tribuit. Terre-  
no spoliatur amictu, qui immortalitatis pallio  
ceteros vestit. Aceto potatur qui aquam in vinum  
25 transformavit, et qui poculum salutis omnibus propi-  
nare non destitit. Felle insuper ab illis cybatur quibus  
mellis et manne fuit largitor et qui est angelorum  
delicatissimus cybus. Falsis testibus veritas  
[f. 48r]  
30 ipsa opprimitur, iudicatur iniuste omnium iudex futurus.  
Condemnatur venia, illuditur maiestas, irridetur  
virtus, fedissimis perfunditur sputis qui dulcium  
est ymbrium effusor. Et tandem ipse filius dei tacens  
tanquam agnus  
35 ad victimam ducitur.<sup>16)</sup> Quid plurimis retardamur?  
Ad crucem domini sydera confunduntur, elementa  
turbantur, terra contremiscit, sol ipse (ne Iudeorum  
facinus cogatur aspicere) radios mundo subtrahit.  
Subitanea noctis caligo diem claudit et tamen  
40 dominus Jhesus inter hec tot mira non loquitur, non  
commovetur,  
nec maiestatem suam saltem sub ipso mortis articulo  
profitetur, sed ad finem usque iugiter ac perseveranter  
tolerat omnia, vel ea demum ratione et providentia  
45 ut in ipso ad nostram instructionem, plena et perfecta  
consummaretur patientia. Quid tandem postremo?  
Pro crucifixoribus suis orat, benignus et  
patiens nemini veniam negat. Adversariis  
et sui nominis inimicis si penitentiam agant delicti  
50 non solum ad criminis indulgentiam verum eciam  
ad celestis regni premium admittit ac promonet  
dicens: "Pater, ignosce illis quia nesciunt quid  
faciunt." Quid hoc verbo patientius, quid

<sup>15</sup>. Mt. 23, 37.

<sup>16</sup>. In margine: Ille innocens ille iustus immo innocentiae?  
Autem ipse ... iusticia inter facinorosos deputatur  
latrones. Ad crucem 20. Cf Lucas 23, 44-45.

benignius proferri potest? Vivificantur christi  
sanguine eciam qui eius sanguinem effuderunt.  
O qualis et quanta est christi patientia, que  
nisi tanta profecto ac talis extitisset, paulum  
quoque apostolum modo ecclesia non haberet.

Exemplum patientie non solum a christo deo et homine, verum  
eciam.

a puris hominibus nobis esse demonstratum et relictum.

Capitulum 4.

At forsitan ad hoc, mi Corneli, replicabis et dices:  
[f. 48v]

Quid me homuncionem carne animoque fragili ad eius  
hortaris patientiam qui deus simul est et homo? Ad pu-  
ros igitur homines veniamus, et predecessorum nostrorum  
patientiam

diligenter inspectemus, Intueamur itaque patriarchas veteres  
et prophetas iustosque omnes, qui figuram christi in imagine  
portaverunt, nihil omnium accuratius custodisse in suarum  
laude virtutum, quam id maxime atque adeo unum quod patien-  
tiam forti ac stabili equalitate tenuere. Nonne Abel mar-  
tirim originem et iusti hominis primus inicians passionem  
ad-

versus Caym fratrem suum non repugnat nec reluctatur  
sed ut humilis ac mansuetus patienter occiditur? Nonne  
Abraham credulus Deo fideique iaciens primus funda-  
mentum tentatus in filio non cunctatur non trepidat  
sed e vestigio preceptis domini tota devotione ac patientia  
obsecundat? Nonne et filius eius Ysaac, quom

a patre immolandus offerretur, adeo patiens invenitur  
ut dixerit patri: "Pater, alliga mihi manus et pedes, ne  
forte insurgam adversum te?" Quid de Jacop Io-  
seph Moise et David rege ceterisque patribus dicemus?

Nonne is (quem primum ordine posui), fugatus a fratre  
e domo paterna patienter excessit et maiore postea  
eum patientia adorans premissis muneribus ad  
concordiam studuit revocare? Nonne Joseph venumda-  
tus a suis et in Egiptum relegatus, non modo eis pa-  
tienter ignoscit, sed et gratuita dum fames grassaretur  
frumenta venientibus ad se clementer impartit?

Nonne Moises a perfido Israhelitarum populo frequenter  
contemptus et iamium pene saxorum grandine  
obrutus patiens ac lenis dominum deum pro eisdem  
deprecatur dicens<sup>17</sup>): "Domine, dimitte eis noxam hanc  
[f. 49r]

Aut dele me de libro quem scripsisti?" Quid postremo  
de David rege ex quo sed in carnem natus est  
christus referam? Is itaque si pie revolvimus quam magna  
et mira ac ferme christiana fuerit imbutus patientia  
tum facile intelliges, quom recordaberis illum habuisse  
in manu Saul regem inimicum suum et se interficere molientem  
eumque occidere sine strepitu potuisse et tamen traditum  
sibi

servare ad vitam maluisse. Sed neque secundum legem Moise  
quod utique tum fas fuit hosti suo rependisse vicem

<sup>17</sup>. Exod. 32, 31-32.

imo occisum denique ab allophilis in monte gelboe eius  
in enecatorem adhuc insuper vindicasse. // Ad novum  
redeo testamentum. Quid de martyribus dicemus,  
quid de gloriosis confessoribus, quid de sacris denique  
5 virginibus, qui omnes ad celestis regni coronas,  
patientie laude ac triumpho pervenerunt. Neque enim acci-  
pi unquam potest dolorum ac passionum corona, nisi pre-  
cedat in dolore patientia. Quibus eciam eos haud  
10 iniuria adnumeramus, qui pro christi non sese suaque  
libenter impenderunt, qui preter assiduas tentationum  
pugnas, in persecutionum certamine pingua reli-  
quere patrimonia uxoresque candidissimas et nu-  
merose prolis gratissima pignora. Qui carceres  
15 hilariter subierunt, qui cathenarum pondere pressi  
et animas pariter cum rebus impendentes, gladios,  
bestias, ignes, catastas, et omnia denique tormentorum  
genera, nobili virtute patientie fortiter pertulere,  
illo ipso nimirum instigante et procurante qui dicit  
20 "Si permanseritis," ait<sup>18</sup>), "in verbo meo, vere discipuli  
mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas libera-  
bit vos"/<sup>19</sup>)/  
[f. 49v]

Patienter et fortiter in bono perseverandum esse et numquam  
25 ab operatione bona deficere aut per impatientiam desistere.  
Capitulum V.

Videsne, Corneli, quam patienter ex verbis domini nobis  
in omnibus et perseverandum et tolerandum  
30 est, ut ad spem veritatis atque libertatis iam admis-  
si, tandem perm incolatus nostri agones ad ipsam possi-  
mus letanter pervenire veritatem ac libertatem? Nam  
hoc ipsum (ut ingenue fatear) quod christiani sumus/  
fidei quidem et spei res est. Verum enimvero neque  
35 spes ipsa neque fides, ad fructum suo voti poterunt  
pervenire sine patientia. "Patientia ergo vobis  
magnopere necessaria," dicente Paulo.<sup>20</sup>) Si enim id  
quod non videntes speramus, per patientiam expectamus,  
proculdubio et expectatio et patientia est nobis  
40 quam maxime necessaria, ut saltem illud quod in bap-  
tismate esse cepimus, perseveranter impleamus et ut eciam  
illud quod credimus et speramus, domino prestante ca-  
piamus. Ad hoc eciam hortatur nos Paulus dicens:<sup>21</sup>)  
"Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore  
45 enim suo metemus non deficientes" Quoniam merces nostra  
tunc erit eterna, et nemo eam tollet a nobis.  
Et quid dicam? Nihil homini christiano unquam perni-  
ciosius quam in operatione bona per impatientiam  
deficere, et iniquis tentationum suggestibus  
50 aut avocatum aut devictum in medio laudis itinere  
subito prorsus deficere. Contra hec apostolus

<sup>18</sup>. Johannes 8, 31-32.

<sup>19</sup>. The remaining text of the line is crossed out. In  
margine: sequitur rubrica.

<sup>20</sup>. In margine: Ad Hebr. 10[, 36].

<sup>21</sup>. Gal. 6, 9.

nos admonet dicens:<sup>22</sup>) "Nolite amittere confidentiam vestram quae magnam habet remunerationem." Ac demum: "Patientia enim vobis necessaria est ut voluntatem dei

5 facientes reportetis promissionem".<sup>23</sup>) Et Johannes [f. 50r]

in Apocalipsi<sup>24</sup>): "Tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam. Que nimirum exhortatio nos utique excitat patienter et fortiter in bono perseverare: ut, 10 qui ad coronam et ad laudem iam proximam fere nitimur durante usque in finem patientia victoriosius a domino coronemur. Incassum quippe bonum agitur si ante vite terminum teste Gregorio deseratur. Et frustra velociter currit qui priusquam ad metas 15 veniat deficit. Nullus igitur actus bonus, nulla virtus bona, nullum denique opus bonum perficitur, nisi illus perseverantia comitetur. Perseverantia<sup>25</sup>) namque est sicut anima rationalis in corpore, que, licet veniat ultima, est tamen omnium virtutum corporalium atque 20 animarum completiva precedentium. Anima<sup>26</sup>) enim vegetativa et anima sensitiva, teste Philosopho<sup>27</sup>), imperfecte sunt nature. Quin

imo per eas homo integer numquam constitueretur nisi per animam rationalem ultimata perfectio adderetur 25 et nisi quod imperfectum fuerat per ipsam novissime compleretur. Ita et vere credimus, licet in morum congerie<sup>28</sup>) plures inveniantur virtutes, nullas tamen perfectas esse, quamdiu a perseverantia veluti a quadam rationali anima con complentur ac perficiuntur. Et 30 quid, obsecro proficit, si arbor speciosum quidem fructum producat sed ad debitam maturitatem, vento deiectus in arbore non permaneat? Quod et ipse dominus in evangelio confirmat dicens<sup>29</sup>): " Sicut palmes non potest facere fructum nisi in vite manserit, sic nec vos 35 nisi in me manseritis." Bene, optime, parum proculdubio homini proficit, si fructus bone operationis ab eo incipitur, nisi eciam per stabilem perseverantiam maturetur. Perseverantia nempe est unica summi regis filia, finis virtutum earumque consummatio, 40 [f. 50v]

totius boni repositorium et virtus sine qua nemo videbit Deum, dicente domino<sup>30</sup>): "Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit."<sup>31</sup>) Perseverantia enim est talaris tunica quam fecerat Jacob filio suo Joseph, 45 hec est cauda pecudis que eciam cum capite in sacrificio domino iubetur offerri. "Turpe est," ait Seneca<sup>32</sup>),

<sup>22</sup>. Hebr. 10, 35.

<sup>23</sup>. Hebr. 10, 36.

<sup>24</sup>. In the margin: ca. 3. Sc.: Apoc. 3, 11.

<sup>25</sup>. In margine by Vulcanius: Perseverantia.

<sup>26</sup>. In the margin by Vulcanius: Anima.

<sup>27</sup>. Cf Thomas Aquinas, Summa Theologica PP Q. 76 art. 5c.

<sup>28</sup>. In the margin by Vulcanius: Nota.

<sup>29</sup>. In margine: Johannis XV [, 4].

<sup>30</sup>. Math. 10, 22.

<sup>31</sup>. In margine, by Vulcanius: Allegoria.

<sup>32</sup>. In margine, by Vulcanius: Seneca. Sc. Seneca, ...

"cedere oneri, luctari cum officio, quod semel recepisti. Non est vir fortis neque strenuus aut constans qui laborem fugit, nisi crescat illi animus ipsa eciam rerum difficultate." Unde et Bernardus<sup>33</sup>) in quadam epistula:

5 "Absque

perseverantia, inquit, nec qui pugnat victoriam nec victor palmam consequitur." Ipsa nutrix est ad meritum, mediatrix ad premium, soror patientie, constantie filia, amica pacis, amiciciarum nodus,

10 unanimitatis vinculum<sup>34</sup>), propugnaculum sanctitatis.

Tolle perseverantiam nec obsequium mercedem, nec beneficium gratiam, nec fortitudo laudem obtinebit.

In disciplina igitur, o Corneli, perseveremus cum patientia et tamquam filiis se nobis offeret deus.

15 Patientia

non solum in nobis bona custodit sed eciam a nobis adversa repellit. Et

patientiam aliarum quidem virtutum esse consummatricem

20 Capitulum VI.

Et quid multa? Quis poterit unquam patientie laudes sufficienter et quidem dignis

25 extollere preconis? Ipsa enim in nobis non solum

bona custodit, verum eciam a nobis adversa repellit. Ipsa quoque contra corporis atque caris opera,

quibus anima ipsa sepe numero expugnatur et capitur virtutum suarum propugnaculo quotidie reluctatur.

De pluribus perpauca inspiciamus, ut ex pau

30 cis intelligantur et cetera. "Ecce mendacium", ait [f. 51r]

propheta<sup>35</sup>), "fraus furtum adulterium et homicidium iam inter mortales ubique dominantur et inundaverunt super terram et sanguis sanguinem tetigit." At vero sit firma

35 fortisque in animo patientia, nec adulterio quidem corpus tuum, deo sanctificatum, templumque spiritus sancti factum, pol-

lues, nec tuam iusticie semel dicatam innocentiam, mendacii aut fraudis aut maledicti contagione inficies,

40 nec post digne gustatam christi eucharistiam, qui suam pro hominibus in mortem animam tradidit, alterius sanguinem fundere queres. Quid si insuper dixero

patientiam omnium esse virtutum consummatricem?

45 Charitas siquidem fundamentum pacis est, et fraternitatis vinculum firmitasque unitatis, et que spem

atque fidem longe superat, que omnia opera, et ipsa demum martiria teste Paulo<sup>36</sup>) antecedit, que numquam excidit sed perpetua nobiscum in celestibus perseverat.

Magna quidem et vera sunt hec charitatis preco-

50 nia. Verum si ei patientiam tollis mox desolata non subsistit neque perdurat. Tolle ab ea, inquam

<sup>33</sup>. In margine, by Vulcanius: Bernardus. Cf. Bernardus of Clairvaux, Epistolae morales. De perseverantia. Migne PL 182, 454.

<sup>34</sup>. In margine, by Vulcanius: Pax. Unanimitas.

<sup>35</sup>. In margine: Amos 4. This is: Hosea 4,2.

<sup>36</sup>. I. Cor. 13, 8.



sufferendi substantiam et nullis mox viribus  
proculdubio perstat. Quapropter non ab re neque temere  
apostolus Paulus ei patientiam adiungit dicens<sup>37)</sup>

"Charitas patiens est, benigna est, omnia suffert,  
5 omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet."

Et alio in loco<sup>38)</sup>: "Cum patientia supportantes  
invicem in charitate. Solliciti servare unitatem  
spiritus in vinculo et convinctione pacis." Ecce<sup>39)</sup> astruit  
apostolus neque unitatem, neque pacem servari posse,  
10 nisi nutua nos invicem patientia foveamus  
et concordie federa, per tolerantiam custodiamus.

[f. 51v]

Ecquis denique evangelica illa, et quidem domini nostri  
precepta, perferre poterit, quibus dicitur: non iurabis,  
15 non male dices, ablata non repetes, accepta alapa  
alteram verberanti prebebis maxillam, peccanti in  
te non septies modo, sed et septuagies septies

quineciam omnia omnino peccata dimittes, pro adversariis  
tuis et persecutoribus orabis. Quis, inquam, ist perfer-  
20 re aut implere poterit, nisi tolerantie ac pa-  
tientie teneat firmitatem? Viden, mi Corneli,

patientiam ipsam omnium esse virtutum sal et con-  
dimentum? Quod enim cybus est sine sale, hoc  
cetera virtutes, quantumvis magne, sunt absque fo-  
25 mento patientie. Patientia etenim est que fi-

dei nostre fundamenta stabiliter ponit, que spei nostre  
incrementa sublimiter provehit, que omnes  
denique actus nostros ita dirigit, ut tenere  
dulciter possimus viam christi et documenta,

30 dum per eius tolerantiam studiose gradimur. Ipsa  
vel sola efficit (quemadmodum ante iam diximus) ut simus  
et perseveremus filii dei: dum patris nostri patientiam  
dili-

35 genter imitamur, qui hic in pluribus fluctuan-  
tis seculi turbinibus et in pravorum hominum atque  
hereticorum

persecutionibus constituti, eterne retributionis diem  
patientissime expectamus. Quid multa?

40 Tuetur in virginibus patientia beata integri-  
tatem, in viduis laboriosam castitatem, et in ma-  
ritatis individuum charitatem. Hec virtus  
nos in prosperis reddit humiles, in adversis constantes

[f. 52r]

45 contra iniurias mansuetos ac mites. Ipsa docet  
nos, delinquentibus cito ignoscere. Et si ipse de-  
linquas instanter veniam delicti facit petere.

Hec denique tentamina hostis expugnat, perse-  
cutiones strenue tolerat, passiones et martiria  
ipsa vel una consummat.

50 Per patientiam omnia in nobis  
vicia mortificari, affectum tamen pietatis non extinguere,  
et mala, quae patimur, nobis prodesse plurimum, vel ad  
elucenda

<sup>37</sup>. In margine: [I] Ad Corinth. 13, [4 and 7].

<sup>38</sup>. In margine: Ad Eph. 4, [2-3].

<sup>39</sup>. In margine, by Vulcanius: Nota.

peccata vel ad exercendam probandamque nostram iusticiam.  
Capitulum VII.

Hec de virtutibus quas in nobis patientia nutrit  
5 et consolidat dixerimus; nunc quomodo sua vicissim firmitate omnia in nobis mortificet vicia, pariter audiamus. Patientia itaque (ait Cyprianus<sup>40</sup>) deo nos commendat et ab omni malo conservat. Iram enim ipsa temperat, linguam refrenat, mentem gubernat, pacem custodit,  
10 disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendia simultatis extinguit, coercet divitum potentiam, et pauperum refovet inopiam. Verum enimvero non tam severum atque insuperabilem patientia reddit animum, ut omnino  
15 luctiferi affectus exuat pietatem. Sustinet profecto equanimiter omnia, deplorans tamen nihilominus iniquorum hominum pertinaciam et amicorum lugens obiter angustiam.  
Quemadmodum Seneca<sup>41</sup>), scribens ad Paulum apostolum testatur, ubi dicit: "Putasne mi Paule, me non contristari aut luctuosum non esse, quod de tua innocentia supplicium sumatur? Sed feramus equo animo, et utamur  
20 foro, quod sors concesserit, donec invicta felicitas finem malis imponat." Et quoniam modo equum mihi cum Seneca offertur spacium (fatebor ingenue) facessatque adulatio<sup>42</sup>), que  
neque etatem meam decet neque professionem): plurima in te compassione ferebar iuxta Pauli sententiam dicentis:  
[f. 52v]  
30 "Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra."<sup>43</sup>) Quidni Christiano homini et (ut verum fatear) catholice fideli, ego christianus compaterer? Quidni, inquam, cum turpiter affligi virum plangerem, plangerem, cuius doctrinam et legalem et canonicam  
35 omnes predicant, cuius elemosinas et patrocina enarrat omnis ecclesia sanctorum et pauperum christi?<sup>44</sup>) Quotidie interim quo aporiabaris, ego ipse et quidem ea potissimum hora, qua filium patri immolamus, Domino intimas fundebam preces, ut suis  
40 te pauperibus afflictisque restituere dignaretur. Quid multis? Exaudivit dominus, qui tecum fuit in tribulatione et eripuit te, orationem pauperum suorum quos paternaliter confovere solebas, et liberavit te de manibus querentium animam tuam,<sup>45</sup>) quam utique  
45 in tua patientia cum virgine Lucia possedisti. "In Patientia etenim vestra," ait dominus<sup>46</sup>), "possidebitis

<sup>40</sup>. In margine, by Vulcanius: Cyprianus. Cf. Cyprianus, De bono patientiae c. 14-15.

<sup>41</sup>. In margine, by Vulcanius: Seneca. This quote is from the apocryphal correspondence between Seneca and Paulus: letter XI in Il carteggio apocrifo di Seneca e San Paolo. ed. Laura Boccioni Palagi (Florence, 1978) 72 ll. 2-7.

<sup>42</sup>. In margine, by Vulcanius: Adulatio.

<sup>43</sup>. In margine: I ad Corinth. 12, [26].

<sup>44</sup>. Eccl. 31, 11.

<sup>45</sup>. Cf Eccli. 51, 4-5.

<sup>46</sup>. In margine: Luce 21, [19].

animas

vestras." Et illud<sup>47</sup>): "Si me persecuti sunt, et vos  
persequentur."

5 Et Judith vidua<sup>48</sup>): "Omnes qui placuere deo, per  
multas tribulationes transierunt fideles." "Omnes  
enim," ait apostolus<sup>49</sup>), "qui pie volunt vivere in chriso  
ihesu, perse-  
10 quationem patientur." Future siquidem vite gloria  
presentis vite incommodis comparatur. Adversitas  
enim que<sup>50</sup>) bonis viris obiicitur, probatio virtutis  
est, non indicium reprobationis teste Thobia<sup>51</sup>), hic dicit:  
15 "Hoc pro certo habet omnis qui colit te, quia vita eius  
si in probatione fuerit, coronabitur. Si autem in  
tribulatione fuerit, liberabitur." Iuxta enim est  
dominus (ait propheta<sup>52</sup>)) hiis qui tribulato sunt corde, et  
humiles spiritu salvabit. Preterea mala eciam que  
[f. 53r]

ab iniquis fideles perferunt, ipsis utique prosunt vel  
20 ad eluenda peccata, vel ad exercitandam probandamque  
iusticiam, teste Augustino,<sup>53</sup>) vel ad commonstrandam huius  
vite miseriam. Ferro quippe nostre mentis, ad acu-  
men non potest pervenire veritatis, nisi hoc era-  
serit alterius lima pravitatis. Abel enim esse renuit<sup>54</sup>)  
quem Cayn malicia non exercet. Quid igitur, mi  
25 Corneli? Dicamus cum glorioso<sup>55</sup>) christi confessore  
Hieronimo<sup>56</sup>): Veniant plage, veniant omnia genere  
malorum, modo post plagas christus nobis ad-  
veniat. Apud christianos certe miser non est  
qui patitur contumeliam, sed qui facit iniuriam.  
30 Patientia itaque omnem a nobis aufert peccatorum  
rubiginem, et dum a domino corripimur, utiliter ad nostram  
salutem castigamur, ne cum hoc mundo condemnemur,<sup>57</sup>)  
teste Thobia qui dicitur<sup>58</sup>): "Benedictum nomen tuum,  
qui cum iratus fueris, misericordiam facies et in  
35 tempore tribulationis [peccata] dimittis, hiis qui invocant  
te."  
Et Esaias<sup>59</sup>): "Coronans coronabit te dominus tribu-  
latione." Per multas quippe tribulationes oportet  
nos intrare in regnum celorum.<sup>60</sup>) Imo si negari  
40 non potest, Lactantio teste<sup>61</sup>), quin patientia sit summa

<sup>47</sup>. Joh. 15, 20.

<sup>48</sup>. In margine: Judith 8, [23].

<sup>49</sup>. In margine: 2 Ad Thi 3, [12].

<sup>50</sup>. Ms: qui.

<sup>51</sup>. In margine: Thobie 3, [21].

<sup>52</sup>. Ps. 33, 19.

<sup>53</sup>. In margine: In libro tertio De Trinitate. Cf. Augustinus,  
De Trinitate XIII.17.

<sup>54</sup>. MS: rennuit.

<sup>55</sup>. MS: gloriso.

<sup>56</sup>. In margine, by Vulcanius: Hieronimus. Sc. Hieronymus, ...

<sup>57</sup>. I Cor. 11, 32.

<sup>58</sup>. Thobie 3, 13.

<sup>59</sup>. In margine: ca. 22. Sc. Esaias 22, 18.

<sup>60</sup>. Actuum 14, 21-22.

<sup>61</sup>. In margine: in quinto libro Divinarm Institutionum. And  
by Vulcanius: Lactantius. Cf. Lactantius, Divin. Inst. Lib.

virtus, et quam pariter vulgi publice voces philosophique et oratores maximis laudibus celebrant, necesse est iustum ac sapientem virum in potestatem esse hominis iniusti, ut capiat patientiam. Quid multa?  
5 Totius philosophie robur (siquidem Platoni<sup>62</sup>) credimus) est patientia. Et Socrates<sup>63</sup>): "Viri", ait "iusti est scire pati et iniuriam nulli facere." Victoria [f.53v]  
10 enim sine adversario brevis est laus. Bis vincit qui se ipsum vincit. Nobile vincendi genus est patientia. Vincit qui patitur, studeas ergo severa pati. Magna etenim virtus est, si non ledas a quo lesus es. Magna gloria est, si ei cui nocere potuisti, parcas. Nobile vindicte genus est ignoscere victo. Nihil quoque  
15 fortius esse potest nihilque magis egregium teste Cassiodoro<sup>64</sup>), quam audire noxia et non respondere contraria.

Nos ad patientiam non solum electorum exempla, verum etiam rerum naturalium proprietates mirabiliter provocant.  
20 Capitulum VIII.

Sed iam omissis interim sactorum exemplis Job et Thobia, christique fidelium, similitudinis gratia, nature secreta perscrutantes, plurima invenimus  
25 naturalia que nos ad patientiam mirum in modum provocent. Lapis siquidem Amathites<sup>65</sup>) teste Plinio<sup>66</sup>) reddit incombustibilem, quam semel attigit vestem. Huic igitur gemme nos patientiam haud absurde comparamus, dum viri vere patientes, nullo tribulationis igne valent  
30 pregravari. Quoniam teste Seneca<sup>67</sup>): "Cuiusvis doloris remedium est patientia, et qui patientie virtutem perfectam habuerit, inflictis doloribus non dolebit." Et in Rhomanis principibus exploratissimum habemus  
35 quantam cum exercitu suo patientiam in adversitatibus habuerunt, et quam patienter verbere et mortem pro republica sustinuerunt. Sed et in vitulo marino<sup>68</sup>) patientie virtutem invenimus. Is enim teste Plinio<sup>69</sup>), duas habet pinnulas, quarum si  
40 dexteram capiti supposueris mox tam profunde dormis, ut etiam sectiones corporis non sentias. [f.54r]

---

V.22.

<sup>62</sup>. In margine: in suis sententiis. And by Vulcanius: Plato. Sc.

<sup>63</sup>. In margine, by Vulcanius: Socrates. Sc.

<sup>64</sup>. In margine, by Vulcanius: Cassiodorus. Sc. ...By Aurelius: Supra in primo: Ego tanquam sordus non audiebam. Ps 37, 14.

<sup>65</sup>. In margine, by Vulcanius: Amathites.

<sup>66</sup>. Plinius, Naturalis Historia, 37.9.

<sup>67</sup>. In margine, by Vulcanius: Seneca. In fact it is a reference to Publilius Syrus, Sententiae, 106, cited by Seneca.

<sup>68</sup>. In margine, by Vulcanius: Vitulus Marinus.

<sup>69</sup>. In margine, by Vulcanius: Plinius. Sc. Plinius, Historia Naturalis, 9, 19.

Ita vir patiens cui ea que sursum sunt sapiunt, ubi christus est in dextera dei sedens,<sup>70)</sup> veluti ad omne malum insensibilis ex divino amore efficitur aut certe pro modico reputat ea que patitur et tribulationes mundi parum  
5 aut minime sentit. Consideratio namque premii minuit vim flagelli. Et ideo forsitan hic nos temporaliter dominus punit, ut eterne mortis ardorem pena redimat temporalis, et ut vexatio det nobis intellectum. Trituratur enim granum ut reponatur in horreo,  
10 quadratur lapis, ut sine sonitu mallei in edificio templi collocetur,<sup>71)</sup> movetur vehemens turbo quum helias rapitur in celum. Et quid multis? Maximum est remedium interioris hominis, si in huius erea mundi variis tribulationum flagellis  
15 trituretur exterior patienter. Nam omnis aut cordis aut corporis afflictio, citra meritum est salutis fructum, sine patientie condimento. Sed quid? Parva et modica nimis sunt omnia que hic toleramus, si recordemur, quid ille biberit ad patibulum qui  
20 nos invitat ad celum. At nunc aliud videamus quo provocemur ad patientiam in Memphite exemplum<sup>72)</sup>. Hic lapis (a suo loco nomen sortitus ubi abundantius reperitur) eam nihilominus obtinet proprietatem, ut, si eum aceto distemperes nembraque linias,  
25 ea mox adeo stupido reddantur<sup>73)</sup>, ut lesuras non sentiant dum secantur. Ad huius rei tropologiam<sup>74)</sup> venio. Memphites igitur, qui interpretatur: os meroris,<sup>75)</sup> mortem ipsam significat que proculdubio omnia cum more consumit. Qui ergo sese memoriter mortuos esse recolunt, et una cum aceto, id est infernalium penarum acredine, mentem illiniunt, hii  
30 [f. 54v]  
profecto ita per virtutem patientie in domino solidantur et requiescunt, ut omnes tribulationum sectiones, plagas atque dolores, aut parum curent aut minime sentiant.<sup>76)</sup> Hec etenim duo insperate scilicet mortis et tormentorum infernalium consideratio eternorumque affectio est spes gaudiorum ad subeundam omnem patientiam quam maxime conducunt, Paulo teste qui dicit<sup>77)</sup>: "Per patientiam," ait, "curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei et consummatorem, Jhesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta; atque in dextera dei sedet." Recogitemus ergo,  
45 mi Corneli, dominum nostrum Jhesum christum, qui talem sustinuit a peccatoribus contradictionem in verbis contumeliosis et tormentis; et non defatigabimur, animis nostris deficientes.<sup>78)</sup> Si enim mina-

<sup>70</sup>. Col. 3,1-2.

<sup>71</sup>. 4 Reg. 2,1.

<sup>72</sup>. In margine, by Vulcanius: Memphites. Plinius, Naturalis Historia, 36.56.

<sup>73</sup>. MS: reddi.

<sup>74</sup>. In margine, by Vulcanius: Tropologia.

<sup>75</sup>. Cf Plinius, Historia Naturalis 36, 7 11.

<sup>76</sup>. Cf Plinius, Historia Naturalis 2, 73-75, 184.

<sup>77</sup>. In margine, by Aurelius: Ad Hebr. 12 [, 1].

ces sunt nautis pelagi fluctus, si tempestates  
grandinum atque hiemes agricolis, si vulnera  
cedesque militibus (teste Cristostomo)<sup>79</sup>). Si gravissimi  
ictus plageque pugilibus leves videntur  
5 et tolerabiles, propter spem pereuntium commodorum,  
quanto magis nos, quibus celum preparatur in premio,  
nihil de presentis seculi asperitatibus sentire debemus  
quom maxime labores nostros mitiget in  
beatum venire finem. Non aspiciamus quam via  
10 est aspera, sed quo ducit, sed aliam quia lata est  
sed ubi desinit. Sed quid nos ad hoc? Nondum  
enim ad sanguinem usque restitimus adversus peccatum  
repugnantes.<sup>80</sup>) Tui tamen semper misertus sum (ita me  
gratie adiuvent) recolens eam, quam indigne  
15 [f. 55r]  
passus es, iniuriam, nedum ignominiam. Ego enim  
tantum gravi ore ad tempus id est silentio hominique  
convictu, Tu  
vero eciam grandi ere (ut fertur) mulctatus es.  
20 Sed quid? Nihil eripit fortuna viro sapienti  
imo et patienti, nisi quod ipsa dedit.<sup>81</sup>) Virtutem  
non dedit, ergo nec eam sibi retrahit. Itaque  
vir sapiens pariter et patiens, hic nihil perdit  
in unius possessione virtutis mens eius tota  
25 figitur, ex qua depelli numquam potest.

Ad patientiam nos quam maxime corroborat iniuncta a  
domino patri nostro Adamo penitentia et multorum  
quos hic novimus calamitosa miseria. Capitulum IX.

30 Verum ut manifestius cognoscamus quam sit nobis necessaria  
et utilis patientia, cogitemus dei nostri sententiam,  
qua in origine nascentis mundi ac generis humani,  
Adam pater noster divine legis transgressor est punitus. Qui  
35 enim ad hoc nascimur, ut in hoc seculo pressuris ac  
tribulationibus laboremus, reliquum est ut sciamus, qua  
nos hic patientia esse osssssssssporteat. Quia audisti (ait  
dominus ad Adam)<sup>82</sup>) vocem uxoris tue plus quam meam, et come-  
disti de ligno, de quo preceperam tibi ne comederes, ma-  
40 ledicta terra in opere tuo. In labore, tristitia et gemitu  
commodes<sup>83</sup>) ex ea cunctis diebus vite tue. Spinis et tribulos  
germinabit tibi, et comedes herbas terre atque pabu-  
lum agri. In sudore vultus tui vesceris pane  
tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es;  
45 quia pulvis es et in pulverem reverteris. Ecce quam valide  
etiam  
nos ad patientiam corroborat ade patris nostri penitentia  
ei a deo iniuncta; huius enim sententie vinculis omnes  
constricti sumus, donec morte expuncta de hoc seculo

---

<sup>78</sup>. Cf Hebr. 12, 3.

<sup>79</sup>. In margine, by Vulcanius: Chrysostomus. By Aurelius: Super Matheum. Sc. ...

<sup>80</sup>. Cf Hebr. 12, 4.

<sup>81</sup>. In margine, by Aurelius: Seneca. Sc. Seneca, De Constantia Sapientis 5, 3-4 and Seneca, Epistolae, 59, 18.

<sup>82</sup>. Gen. 3, 17-20.

<sup>83</sup>. The word commodes is added in the margin.

recedentes in cinerem revertamur. In tristitia igitur  
et gemitu continuo simus, necesse est, omnibus diebus  
[f. 55v]

vite nostre, edamusque panem nostrum non sine sudore ac  
5 labore. Et quid verbo veritatis potest esse verius?  
Ecce infans, ubi nascitur et primum huius mundi excipitur  
hospes inicium a lachrymis sumit, ut dicit sapiens.  
Et quamvis adhuc omnium ignarus ac nescius est que aguntur  
in seculo, nihil tamen aliud novit in illa ipsa ortus  
10 sui prima nativitate quam flere et plangere. Quid enim?  
Naturali profecto quadam providentia atque lamento  
huius vite anxietates, procellas et labores  
in ipso sue nativitatis exordio, fletibus ac  
gemitu rudis anima protestatur. Sudatur enim  
15 hic (ait Cyprianus) et laboratur, quamdiu isthic vivitur.  
Et quid laborantibus atque sudantibus necessario secundum  
inposi-  
tam patri nostro Ade penitentiam, magis subvenire po-  
test quam patientie solacium, et ad eum mox confugere  
20 qui consolatur nos in omni tribulatione nostra<sup>84</sup>) congrua  
penitentiae quam nobis merito infligit, si tamen  
eam patienter sufferimus. Quantas (ait Psalmista)<sup>85</sup>),  
ostendisti mihi tribulationes multas et malas  
et conversus consolatus es me et reduxisti me. Nemo  
25 in insulam maris transire potest, si non prius transfre-  
tet. Ita nec ipsi paradisum ingredimur, nisi primum  
dum vivimus per mare tribulationis transeamus.  
Impossibile est (ait Isidorus)<sup>86</sup>) ut homo et tribula-  
tiones hic non sentiat, et ad celorum gaudia perveniat.  
30 Alterum preterea, quod nos patientiam corrobo-  
rat est eorum (quos vel scripto, vel convictu novimus)  
calamitosa miseria, qui ex Cressis facti sunt Hyri<sup>87</sup>)  
et ex dominis servi evaserunt. Ex locupletibus inquam  
humiles, et ex imperiosis serviles. Consideremus,  
35 vir prestantissime Corneli, omnes illos quos olim nostra  
in etate fluviis irruens absorbit, quos hostilis  
[f. 56r]  
furor patria expulit, ferrumque et ignis consumpsit.  
Quos preceps ira trucidavit, popularis momor-  
40 dit invidia, et infamia maculavit. Quos filiarum  
et coniugum dedecoravit impudicitia, quos etiam rebel-  
lium filiorum proteruitas et irreverentia assidue cruciat.  
Ecce hec et eiusmodi mille alia, huius vite nostre incom-  
moda (quibus ut verum fatear, tamquam inextricabi-  
45 libus labyrinthis et anfractibus includimur) si ex  
animo perpenderit, magno certe nobilis patientie  
proventu locupletabimur. Revocemus paulisper  
ad memoriam eos etiam quos dominus Deus pater omnium variis  
hac nostra tempestate percussit calamitatibus, et procul-  
50 dubio, plures, prohdolor inveniemus, cum quibus nemo  
nostrum suam velit fortunam permutare. At modo breviter  
nostri seculi tempestates, discrimina et turbines

<sup>84</sup>. 2 Cor. 1, 4.

<sup>85</sup>. Ps 70, 20-21.

<sup>86</sup>. In margine: In libro de summo bono. Sc. Isidorus, De summo bono, ..

<sup>87</sup>. Cf Ovidius, Tristia, 3, 7, 41.

revoluamus, ut eorum comparatione nihil esse quod hic  
patimur, cognoscamus. In lamentabili igitur Rodiorum<sup>88</sup>)  
urbis excidio, per quod (prohnefas) Turcarum res  
celo fere equata est, quantum humani cruoris ex-  
5 haustum sit, quot lachrimarum imbres effusi,  
quot ululatus procul auditi, quot ad celum usque  
lamenta pervenerint, quis (obsecro) nobis enarrabit?  
Et quis non lugeat quoties recolit que nunc pridem in  
Arthesia<sup>89</sup>), aliisque proximis locis acta sunt, prophanata  
10 vi-  
delicet dei templa, sanctorum relliquias haberi  
contemptui, vasa sacra inter milites dividi, virgi-  
nes obstuprari, et incendia rapinasque actitari  
quotidie. Hec et hiis similia si animo reversamur, nostris  
15 egris animis utilia sunt, non ut aliena esse debeat  
nobis grata vexatio, sed ea demum intentione ut, dum  
eorum comparatione parva videntur esse que nos patimur,  
[f. 56v]

---

<sup>88</sup>. In margine, by Vulcanius: Rhodus.

<sup>89</sup>. In margine, by Vulcanius: Arthesia.



minus amare presentem vitam transigamus.<sup>90)</sup>

Inimicos

5 et persecutores nostros nobis esse proficuos quia dum  
nos tribulant, coronam nobis fabricant, et quanto nos  
amplius premunt, tanto fortius in virtutibus consolidant  
et omnia que patimur peccatis nostris esse ascribenda.  
Capitulum X.

10 Quoniam teste Apostolo<sup>91)</sup> non sunt condigne passiones,  
miserie et calamitates huius temporis ad fu-  
turam gloriam que revelabitur in nobis, et si socii tri-  
bulationum fuerimus cum Christo erimus et glorie,  
15 nihil, me iudice, ad nostram eque proficit salutem  
atque adversitas equanimiter tolerata. Quare magis  
(ut verum fatear) gratie Deo sunt a nobis referende  
qui nos hic tam brevibus et mox perituris pater-  
naliter visitat angoribus et malis, ut eterna  
cum ipso gaudia possideamus. Quid igitur?  
20 Numquam semen terre visceribus creditum ex se pro-  
ducere potest fructum nisi rigida hiemis fri-  
gora prius sustineat. Neque lignum congrue  
edificiis coaptatur, nisi prius celaturas  
et stigmata patiatur. Ita vere nemo omnium  
25 nostrum poterit ex se in presenti vita bonorum  
operum producere fructum, neque in paradisi edificio  
digne componi in futurum, nisi hic plurima  
prius fuerit perpessus tribulamina. Que quum  
ita, omnes adversarii et persecutores nostri non iam  
30 ut hostes, sed tamquam apes nobis facti sunt. Nam licet  
pungant pro tempore ad leviusculum pene, mellificant  
tamen nobis ad eterne dulcedinem vite. Sunt nobis  
preterea tanquam fabri, dum feriunt, coronam tamen perpetuam  
nobis fabricando<sup>92)</sup> componunt. Incus eciam quanto ma-  
35 gis malleo contunditur, tanto amplius consolidatur.  
[f. 57r]  
Ignis a vento non extinguitur, sed fortius ab eo inflam-  
matur. Et quid nos separabit a charitate christi?<sup>93)</sup>  
Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum?  
40 an persecutio? an gladius? Adamas quoque  
flammis excoctus, efficacior redditur. Aurum in  
igne positum valorem non perdit, sed pulchrius

<sup>90</sup>. In margine: Memores simus verborum Petri apostoli in  
canonica quibus nonnullos fratres tempestatum fervore  
obsessos consolatur dicens: "Nolite peregrinari neque  
pavere, charissimi, in fervore qui ad tentationem vobis fit  
quasi novi aliquid vobis contingat. Sed communicantes  
Christi passionibus quadete, ut et in revelatione glorie  
eius, quando omne velamen auferetur gaudeatis animo pariter  
et corpore exultantes." Epistole Petri 4 ca. Sc: I Petrus  
4, 12-13.

<sup>91</sup>. In margine: Ad Rhomanos 8 [, 18-19].

<sup>92</sup>. MS: fribicando.

<sup>93</sup>. In margine: Ad Rhom. viii [35].

evadit. Et si quid impuritatis habet admixtum  
ignis exurens scoriam ab eo dumtaxat excutit,  
eius vero substantiam minime corrumpit. Ita et pa-  
tientie virtus (ut breviter curram) nullis adversitatibus  
5 deiicitur, sed semper seipsa fortior redditur. "In omnibus",  
ait  
Paulus,<sup>94</sup>) "tribulationem patimur, sed non angustiamur,  
Persecutionem patimur, sed non derelinquimur; humiliamur  
sed non confundimur; deijcitur sed non perimus; Semper mor-  
10 tificationem Jhesu Christi in corpore nostro circumferentes,  
ut et vita Jhesu manifestetur in carne nostra mortali."  
Preterea vir patiens Christi bonus odor efficitur in omni  
loco<sup>95</sup>)  
non secus atque species aromaticae, quae proculdubio  
15 eo maiorem adferent naribus hominum fragrantiam  
quanto minutius fuerint pila<sup>96</sup>) attrite. Igitur,  
dulcissime Corneli, si precedentium patrum facta et  
patientiam  
consideremus: erunt utique minime gravia quae nos hic  
20 interim toleramus. Id enim (teste Paulo)<sup>97</sup>) quod  
in presenti est momentaneum et leve tribulationis  
nonstret, supra modum in sublimitate eternum gloriae pondus  
operatur in nobis. Ecquis, obsecro, sanctorum sine  
patientia coronatus est? Ab ipsis namque ecclesiae  
25 cunabulis non defuit iniquitas premens et iusticia<sup>98</sup>)  
patiens. Et ideo si quid nobis adversi ob-  
venerit, dicamus singuli cum fratribus Joseph<sup>99</sup>): "Merito hec  
patimur quia peccavimus." Et illus Michee<sup>100</sup>): "Iram domini  
portabo, quoniam peccavi ei, donec iudicet causam meam  
30 et faciat iudicium meum. Educet me in lucem, et videbo  
[in] iusticiam eius." Hoc iam in te, vir prestantissime,  
completum  
gaudemus, qui ut alter Hercules constantissime cum Antheo  
congressus es, et vicisti eum, dicens ad illum, qui te  
35 fecit triumphare<sup>101</sup>): "Non nobis, domine, non nobis, sed  
nomini tuo  
da gloriam." Igitur quoniam nihil in actibus nostris potest  
ad aliarum virtutum consummandam laudem nobis proficere  
nisi quod patientiae acceperit firmitatem, insistamus  
40 coyus, et vigilanter elaboremus ut ad omnem tolerantiam  
stabilis domini nostri precepta accuratissime observemus,  
ut quum dies ire ac vindictae advenerit, non cum  
impiis et peccatoribus puniamur, sed potius cum iustis  
atque Deum timentibus in celo coronemur. Per eum qui  
45 dicit<sup>102</sup>): In patientia vestra possidebitis animas vestras.  
Amen.

Explicit libellus de patientia

<sup>94</sup>. In margine: 2 Ad Chor. 4 [ 8-10].

<sup>95</sup>. Cf 2 Cor. 2, 14-15.

<sup>96</sup>. MS: pilo.

<sup>97</sup>. In margine: 2 ad Corinth. 4 [17].

<sup>98</sup>. In margine: Augustinus. Sc. ...

<sup>99</sup>. Gen. 42, 21.

<sup>100</sup>. In margine: [Micheas], vii [9].

<sup>101</sup>. Ps 115, 1.

<sup>102</sup>. Luc. 21, 19.